

LOGICORUM
LIBER DECIMUS
ET ULTIMUS.
IN 2VO
PARS SPECIALIS

De

USU INSTRUMENTORUM
LOGICORUM.

Cap. I. Logicae specialis necessitas & distributio.

Persecuti sumus cum Deo partem Logicæ generalis: supereft nobis pars specialis, quæ tradit modum benè differendi in specie. *Vocatur à Kekermanno Gymnasium Logicum, itemq; Logica specialis: ab aliis Critica.*

Logica generalis exposuit instrumentorum Logicorum naturam, & (ut ita dicam) fabricam atq; architecturam. Specialis deinceps exponet rationem utendi instrumentis Logicis in cognoscendis & recognoscendis omnibus ac diversissimis rerum dissertabilium generibus.

Logicae specialis præcognoscitur necessitas, & distributio. (sitate usus.)

Necessitas Logicæ specialis dependet à neceſſitate. Quod si igitur evicero, usum Logices esse necessarium; patet quām necessaria sit Logica specialis. Nam si est usus Logices; ille considerandus erit vel in disciplinā cuius est, vel extra disciplinam. Non hoc: quia quælibet ars sufficienter debet tradere media, quæ ad finem ipsius commodè & expeditè consequendum sunt necessaria. Jam autem Logices finis est tradere modum benè differendi. Modus differendi, proprium & adæquatum illud Logicæ subiectum, consideratur in genere vel in specie. E. ut sit finis cum subiecto, & utriusq;